

posterum ex oblongis duobus compositis quarere latera, vnde ipsa facta sint, idq; demonstrare, ut in quinto & sexto senario translatione figurarum.

Nonus tanquam senarius additus tandē a Theone de differentia tredecim irrationalium, qua inertia nihil adhuc inertius fuit, & jam desino communionem & differentias in Porphyrio mirari, cum videā in acuratissimam disciplinam tales nugae infusas esse.

LIBRI XXII. FINIS.

PETRI RAMI SCHOLARUM
MATHematicarum
LIB. XXIII. IN III.

partem desinzi elementorum.

73.74.75.76.77.78 p.

HACTENVS Geometria fuit affirmatarum irrationalium in propositionibus septem & triginta, sequitur deinceps negatarum residuarum in propositionibus una & quadraginta, de quibus brevius nobis dicendū sit, quod sophismatis ejusdem species totidem senariis perpetuatur. Logica igitur affirmatarum & integrarum valde insolens fuit, negatarum & residuarum longe est insolentior: affirmata non est definita generaliter, neque definitur hic residua imo ne generaliter quidem appellatur, ut neque affirmata generaliter appellata est *ἄπο μὴ* segmentum seu residuum hic appellatur in tribus primis ducibus, non appellatur in reliquis: Id in utroque senario sophisma commune est. Primus irrationalis affirmatae senarius, illic fecit ē definitionibus propositiones, hic etiam facit, id commune est. Sed novum est, quod specialim residuam definiri necesse non erat, satis erat residuam generaliter definitam esse, vnde intelligeretur ē singularibus affirmatis residuas similiter effici, generaque, differentias, species, proprietates residuae totidē esse quot totius & affirmatae. Quare speciales istae sex residuarum definitiones cum specialibus illis affirmatarum definitionibus demonstrant ē duodecim principiis sophisticas propositiones, duodecim sophisticas demonstrationes factas esse.

79.80.81.82.83.84 p 10. secundus senarius residuarum, respondet secundo senario affirmatarum. Illic sex propositiones fuere pro nulla quidem propositione, sed tantum pro unico axioma. hic amplius etiam addo ex utroque senario & illo affirmatae & hoc residuae unicum axioma faciendum esse, quia divisio illius senarii & huius senarii compositio una omnino res est. Partes irrationalis affirmatae dividuntur unico puncto, ut eadem nempe composita sit, neutra pars major, neutra minor effici potest, nec alia majori date, quam data minor addi potest, ut tota compleatur. Et si dixisset Euclides unicam minorem majori *μεγαλειώτερον* convenire seu

LLI